

V

AD AVGVSTVM

Asclepiadeo-Glyconicus

Dīvīs orte bonīs, optime Rōmulae
Cūstōs gentis, abes iam nimium diū ;
Mātūrum reditum pollicitus patrum
 Sānctō cōnsiliō, redī.

Lūcem redde tuae, dux bone, patriae :
Īnstar vēris enim vultus ubī tuus
Affulsit, populō grātor it diēs,
 Et sōlēs melius nitent.

Vt māter iuvenem, quem Notus invidō
Flātū Carpathiī trāns maris aequora
Cūnctantem spatiō longius annuō
 Dulcī distinet ā domō,

Vōtīs ōminibusque et precibus vocat,
Curvō nec faciem lītore dīmovet :
Sīc dēsīderiīs icta fidēlibus
 Quaerit patria Caesarem.

Tūtus bōs etenim rūra perambulat ;
Nūtrit rūra Cerēs almaque Faustitās ;
Pācātum volitant per mare nāvītae ;
 Culpārī metuit fidēs ;

Nūllīs polluitur casta domus stuprīs ;
Mōs et lēx maculōsum ēdomuit nefās ;
Laudantur similī prōle puerperae ;
 Culpam poena premit comes.

Quis Parthum paveat ? Quis gelidum Scythēn ?
Quis, Germānia quōs horrida parturit
Fētūs, incolumī Caesare ? Quis ferae
 Bellum cūret Hibēriae ?

Condit quisque diem collibus in suīs,
Et vītem viduās dūcit ad arborēs ;
Hinc ad vīna redit laetus, et alterīs
 Tē mēnsīs adhibet deum ;

Tē multā prece, tē prōsequitur merō
Dēfūsō paterīs ; et Laribus tuum
Miscet nūmen, utī Graecia Castoris
 Et magnī memor Herculis.

‘Longās ō utinam, dux bone, fēriās
Praestēs Hesperiae !’ dīcimus integrō
Siccī māne diē, dīcimus ūvidī,
 Cum sōl Ōceanō subest.